



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 3. Vtrum humanitas Christi præter hos modos operandi, habuerit aliquem immediatum influxu[m] supernaturalem in opus miraculosum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Capitis omnium: quidquid enim Persona diuina vult, etiam per voluntatē humanam; statim debet fieri per potentiam accommodatā eiusdem Personae. Quod confirmatur ex modo, quo Christus miracula fecit; scilicet imperando. Matt. 8. v. 26. *Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* In quem locū vide Hieron. Item ibidē v. 2. & Lucē 5. v. 12. *Domine, si vis, potes me mundare.* At ille ait: *Volo mundare.* In quem locum vide Chrysostrōmū. Luc. 7. v. 15. *Adolescens, tibi dico surge.* Ioan. 11. v. 43. *Lazare veni fora.* Ex quibus modis loquendi patet eum potuisse applicare & vti potestate diuinā, quatenus erat homo, perinde ac si creata & inherens fuisset. Vnde Cyrillus epist. ad Monachos Aegypti: *Apparuit, inquit, Christus caelesti potestate & auctoritate instructus; & ideo sic loquitur.*

Nulli autem Sanctorū id concessum, ita vt immediatē & ex auctoritate, quoties luberet, diuinā virtutē vti posset; sed plerumque oratio, saltē interior debebat interuenire. Vide August. l. 22. de Ciuit. c. 9. & 10. Quod si aliquando ex potestate visi sunt facere miracula, credibile est semper antecessisse singularem inspirationem vt facerent; & ita non propriē ex auctoritate faciebant. Christus autem ita hac potestate utebatur, ac si naturalis humanē naturā fuisset.

Aduertē tamen, Voluntatem humanā, non sic applicuisse diuinam virtutem ad opus, quasi aliquem in illam influxum habuerit; cum nec in naturalem potentiam aliquid influat: neque quod naturali necessitate illa tunc determinata fuerit; sicut fit in nobis: quia potentia diuina non est naturaliter subiecta humanē voluntati, sicut potentia animę voluntati subiiciuntur sed quia necessitate suppositionis determinata fuit ad opus, humanā voluntate volente. Quā suppositio erat duplex, vno videlicet hypotatica, & ordinatio diuina circa Christum, vt erat Caput vniuersi. Ex vtroque enim proueniebat, vt humanā voluntate absolutē aliquid volente, necesse esset diuinam potentiam applicari ad opus.

Dico Secundō, Humana natura in Christo, praesertim ratione actionum externarum, etiā cooperata fuit ad miracula per modū instrumenti Personae Verbi seu diuinitatis. Ita D. Tho. hoc loco & multi Patres, qui humanitatem vocant instrumentū diuinitatis. Dico, Praesertim ratione externarū actionum, quia quando nihil externum interuenit, sed solā voluntate perficitur miraculum, nō solet humanitas à Patribus dici instrumentum: quamvis D. Thomas hoc non refugiat.

Probatur simul & explicatur: Quia id rectē vocatur instrumentum, quod ex se vim nullā habet, nisi quod deferat & quodāmodo formaliter applicet vim principalis agentis. Sicut emplāstrū defert & explicat vim medicamenti; penicillus artem pictoris, seu artificiosum eius motum: atqui hoc modo humanitas, eiusque actiones, praesertim externae, deferunt & applicant vim diuinā intimē ipsis insidentem & vnitā: ergo operatur tamquā instrumentum diuinitatis. Minor Probat; Quia cum Dominus sanabat contactu, virtus diuina insidens manui, applicabatur corpori alterius ad sanandum: quando sanabat imperio, vox eius, quae erat vox Verbi diuini, applicabat diuinam virtutē ad opus: & ita haec erāt instrumēta, per quae ipsum Verbū operabatur: nam per haec, eius diuinā virtutē quodāmodo deferēbatur & applicabatur.

Dices; Virtus diuina est vbique: ergo non poterat deferri & applicari. Respondeo, Non erat vbique, seu in omni re substantialiter vnita; nec determinata ad opus tale: sed solū in Christo, eiusque sacris actionibus. Sicut si diuina virtus ita afflueret alicui cruci, vt quēcumque illa Crux contingeret, ille mox diuinā virtute intrinsecus latente sanaretur; rectē diceretur ea deferri & applicari per Crucem, & crux esset instrumentum conferendae sanitatis. Ita multō magis Caro Christi, cui substantialiter est vnita diuinitas, erit instrumentum sanitatis, deferens & applicans virtutem diuinam. Adde, Si virtus diuina non esset vbique, tamen haec applicatio est eius conditionis, vt eam reipsā deferret & applicaret. Vnde quod non fiat localis delatio, non est ex conditione actionis instrumenti; sed ex immensitate diuinę substantię.

Hic tamen aduertē; Quando dicimus naturam humanam esse instrumentū diuinitatis, tunc Persona Verbi considerata vt subsistit in natura diuina, habet se vt operans; virtus diuina, vt id, quo operatur; natura autem humana, vt instrumentum Verbi, mediante quo, ipsius virtus applicatur. Quando autem dicimus naturam humanam esse causam effectiue applicantem; tunc Christus vt subsistens in naturā humanā, consideratur vt operans, seu applicans per voluntatem humanam; virtus autem diuina, seu virtus Verbi, consideratur vt id, quo operatur. Etsi enim in Christo sit vnica persona, tamen haec virtute est duplex propter duas naturas: & ita vtrāque ratione potest ei attribui operatio, tamquam principio, quod operatur.

DVBIVM III.

*Vtrū humanitas Christi praeter hos modos operandi, habuerit aliquem immediatum influxū supernaturalem, in opus miraculosum?*

Q Vidā Recentiores affirmant; & idcirco volunt humanitatem vocari instrumentum diuinitatis. Sed variē explicant. Plerique enim ex illis putant humanitati, eiusque actionibus, tunc imprimi motum quemdam supernaturalem, & quasi artificiosum; quem vocant vim instrumenti, & vim instrumentariam; & vi huius motionis ipsam agere. Sicut penicillo imprimitur motus artificiosus à pictore, quo penicillus pingit. Ita Dominicus Soto, & multi Thomistae adducti quibusdam testimonijs D. Thomae.

Sed Hoc ab alijs rejicitur; Non enim explicant quid sit hic motus, aut quam vim habeat. Exemplum etiā illud de penicillo, & alijs instrumentis artis, parum ad rem facit. Omnia enim instrumenta artis, solum efficiunt immediatē motum locale, per eum aliquid addendo, vel detrahendo, vel collisione sonum excitando. Penicillus enim defert & imprimit colores, motus à Pictore. Serra secat ligna detractis minutis ramentis. Cithara sonitum excitat collisione neruorum cum aere. Ad haec autem nullā opus est eleuatione supra naturalem modum operandi, sed tantummodo motionē locali; nam seipsa mouere nequeunt: quā motione in illis recepta, sunt iam causae principales habentes vim proportionatam effectui. Deinde, fingi non potest, quae sit in illa motio impressa voci, aut rei corporeae, quae vim habeat

Hh produ-

Quo pacto virtus diuina dicatur ad humanitate Christi deferri & applicari.

Sanctorum miracula non fuerunt auctoritate per se.

Vis diuina erat ex suppositione determinante ad opus.

8. In se cooperata est Vt instrumentum Verbi.

Instrumentum quid.

9. Dominicus Soto vult humanitatem effectiue influere in miracula per modum instrumenti.

Rejicitur.



producendi gratiam, aut ponendi vnum corpus in duobus locis, & similia. Si enim nulla datur qualitas, aut vis permanens creata, quæ id præstare possit, multò minùs motio transiens id potest; præsertim cùm motio nihil sit aliud quàm terminus ipse vt est in fieri. Itaque est vel substantia, vel quantitas, vel qualitas: nam suppono non esse motum localem.

IO Vnde alij dicunt nihil imprimi humane nature, aut ipsis actionibus, vt sunt instrumenta; sed Deum concurrere singulari modo cù potentia obedientiali ipsorum: omne enim ens habere potentiam obedientialem actiuam, ad efficiendū quicquid Deus per eam fieri voluerit: sicut habet potentia passiuam ad recipiendum quicquid non implicat contradictionem: & hanc potentiam obedientialem, vocant virtutem miraculorum; eique accommodant aliqua testimonia Patrum & Scripturarum.

Reijcitur sex rationibus. 1. Auctoritate Antiquorum DD.

2. Non datur potentia obedientialis actiua.

3. Non est necessarius talis operandi modus.

Hæc sententia est probabilis: tamen valde dubito an sit vera. Primò, Quia Doctores antiqui contrarium tenent, & censent hunc modum esse impossibilem. Ita Bonauentura, Richardus, Gabriel in 3. d. 13. & Duran. d. 14. & optimè Scotus in 4. d. 1. vbi etiam Duran. Bonau. & alij. Idem tenent Alexan. Alenf. 3. p. q. 13. mem. 3. & Guilielmus Altifiod. in 3. p. summæ tract. 1. c. 4. Idem tenent omnes Nominales, & ferè omnes Thomistæ.

Secundò, Quia hæc sententia præsupponit rem omnem, per suam nudam entitatē, habere potentiam obedientialem actiuam ad efficiendū quicquid. Hoc autem non videtur verū: Tum, quia non est in re quauis potentia obedientialis passiuam ad recipiendum quicquid; vt ipsi fatentur; non enim potest sonus dealbari, aut calefieri; & ergo multò minùs est potentia actiua ad efficiendum quicquid, quæ maiorem requirit perfectionem, cùm intimè in effectum influat ac penetret: Tum, quia debet esse aliqua proportio inter potentia actiuam & effectum, vt possit eleuari ad illius productionem; sicut inter intellectum creatum & visionem Dei: hinc enim fit, vt intellectus possit eleuari ad visionem Dei; non autem oculus corporeus, qui caret hac proportione: at nulla est proportio vocis humane ad excitandum mortuum, ad infundendam gratiam, ad Christi corpus collocandum diuersis locis sub diuersis speciebus panis; &c. Tum, quia potentia obedientialis, nihil videtur esse aliud, quam vis quædam agendi, sed inchoata & imperfecta, quæ nullius virtutis naturalis accessione possit compleri: at talis vis inchoata non videtur esse in omni re ad quicquid. Vnde vt hæc opinio possit sustineri, concedenda videtur vis quædam inchoata in multis instrumentis, quæ ipsis diuinitus imprimatur priùs naturā quàm Deus cum ipsis concurrat ad effectum: quia implicat instrumentum effectiue concurrere ad effectum, & tamen nullam vim intrinsecam habere, saltem inchoatam; omnis enim efficacia est ab aliqua vi agendi, saltem imperfecta.

Tertiò, Deus non operatur modo miraculoso sine necessitate, vel euidenti vtilitate. At hic modus operandi est summè mirabilis, nullam habens necessitatem, aut euidentem vtilitatem: tum, quia sine illo modo optimè fit opus; tum, quia ille modus operandi ita est occultus, vt nemo hominum possit illum deprehendere; imò nec quisquā Angelorum. Nulla enim in instrumento fit mutatio iuxta illos, sed eodem modo se habet ante & post

operationem. Quæ ergo vtilitas tanti miraculi?

Quartò, iuxta hanc sententiā, quando Christus per vocem operabatur, debebat tota actio fieri per vltimam syllabam, imò per terminum vltimæ syllabæ; quod videtur fictitium: sic enim sola vltima syllaba fuisset instrumentum. Idem argumentum locum habet in nostris Sacramentis.

Quintò, Aliquādo tres vel quatuor tales causæ instrumentales concurrunt ad eundem effectum; v. g. humanitas Christi, Sacerdos, materia & forma Sacramenti: ergo non habebunt proprium influxum. Patet Consequentia; Quia vel habent eundem; & sic cæteræ sunt superflue præter vnam; vel habent diuersos quasi partiales; & sic eò minor deberet esse influxus singulorum, quò plures tales causæ concurrunt; vt patet dum multi trahunt vnam nauim.

Sextò, Ipsa humanitas Christi vtebatur voce, & ipsis Sacramentis: ergo si influxum dabat realem & immediatū in opus, poterat ipsa eleuari instrumentum, & vti potentia obedientiali: quod tamen soli Deo proprium esse dicunt; sicut & præbere concursum naturalem, qui per nullam causam creatam possit suppleri.

Sed cõtra obijcitur Primò, Ex Scripturis. Luc. 6. v. 19. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et c. 8. v. 46. Ego noui virtutem de me exisse. Ioan. 1. v. 16. De plenitudine eius omnes accepimus. Respondeo, Concedo in humanitate Christi fuisse virtutem sanandi: sed hæc erat virtus increata, illi substantialiter vnita, quæ exibat per energiam & operationem. Ad illud Ioan. 1. Etiam Patriarchæ & Prophetæ de plenitudine eius acceperunt; quia gratiam ex eius meritis acceperunt: quæ merita vim habebant ex eius plenitudine.

Obijcitur Secundò, Ex Concilijs: Concilium Ephesinum can. 11. dicit Carnem Christi esse viuificatricem. & in VI. Synodo act. 11. dicitur Verbum per carnem effecisse opera, quæ erant diuinitatis indicia. Respondeo; Concilium Ephesinum nõ loquitur de Potentia obedientiali actiuam, quæ non est res certa; sed de eo quod fide notum est. Dicit enim anathema ijs, qui negant Christi carnem esse viuificatricem; & aperte insinuat vim illam viuificam, esse vim Verbi hypostaticè vniti carni: vt patet ex toto canone. Huc pertinet illud Ioan. 6. v. 63. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquid. Vbi insinuat totam vim seu potentiam viuificandi conuenire carni, ratione diuinitatis; nullam autem partem istius potentie ipsi inesse secundū se. Alter locus ex VI. Synodo non habet difficultatem; caro enim erat instrumentum quo latens diuinitas applicabatur. Vnde miraculum erat signum occulte diuinitatis. Sicut curatio vulneris, est signum latentis virtutis in Cataplasmate.

Obijcitur Tertiò, Ex Patribus. Primò, Dionys. Areopagita epist. 4. sub finem, Actiones miraculosas Christi vocat *deavd paxas*; quasi dicat, *Dei-viriles*, vel *Dei-viriles*: quia Verbum per humanitatē, tamquam per instrumentum, illas efficiebat.

Respondeo Primò, Fatemur humanitatem esse instrumentum Verbi, sed modo suprā n. 8. explicato. Secundò, Nõ solū miraculosa Christi operatio, sed omnis etiam alia, quam per humanitatem obibat, vocatur *deavd paxas* à Dionysio, quia erat operatio Dei & hominis; vt exponit Damasc. lib. 3. c. 19. Quòd si ideò diceretur *deavd paxas*, quia diuinitas miraculosè cooperatur; etiam Sanctorum operatio-



operationes miraculose, essent *deusdixit*: quod abhorret à mente Dionysij. Addit Damascenus etiam alià causam, cur actiones Christi vocentur *deusdixit*; nempe quia actiones naturæ humanæ in Christo, sunt cum communicatione actionis diuinæ; & contrà. Nam operatio humanitatis fiebat ex voluntate diuina, & habebat vim salutiferam à diuinitate; similiter operationes diuinitatis quibus faciebat miracula, fiebant ministerio corporis; ita tamen vt actio vtriusque naturæ esset distincta, nec in vnam confunderetur, vt Damascenus notat. Illi autem volunt actiones diuinitatis & humanitatis coalescere in vnam actionem simplicem, quæ terminetur ad opus miraculosum; quod est contra Dionysium & Damascenum.

Deinde obiiciunt, Cyrillu lib. 4. in Ioan. c. 14. vbi dicit: *Non Verbo solo semper, sed etiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quoque suum viuificare posse.*

Respondeo, Cyrillus ibi solum vult dicere quod fide tenemus, Carnem Christi propter vnionem cum Verbo, esse viuificantem, id est, posse dare vitam æternam animæ & corpori immortalitatem. Vide c. 24. & 25. vbi id apertissimum erit. Planè autem alienum est Cyrillum explicare de obedientiali potentia, quæ etiam sit in Sanctis, imò in quavis creatura, iuxta ipsos.

Præterea obiiciunt quosdã Patres, qui Humanitatem Christi vocant *Instrumentum seu organum diuinitatis*. Respondeo, dici *Instrumentu*, quia Verbum vtitur naturâ humanâ ad aliquid præuium actioni diuinitatis; scilicet ad applicandam diuinâ virtutem illi insistenti: quod idè facit, vt ostendat se esse Deum verum pariter & verum hominem; vt apertè docent Patres. Vide Athanasium ferm. 4. cõtra Arianos, vbi fusè hanc causam prosequitur, & clarè docet actionem humanitatis nullam vim immediatè in miraculum habuisse, sed solum diuinitatem. Idem docet Damascenus lib. 3. De fide cap. 19.

Obijcitur Quarto, Ex D. Thoma, qui sepè docet humanitatem Christi fuisse instrumentu diuinitatis per modum efficientiæ. Respondeo, D. Thomam posse intelligi modo supra dicto. Nam I. p. q. 45. a. 5. apertè docet actionem instrumenti esse præuiam actioni principalis agentis, & distinctam ab illa; quod illi negant; vnde etiam fatentur se recedere à D. Thoma. Adde, D. Thomam infra docere *Passionem, Mortem, & Resurrectionem*, operari salutem nostram per modum efficientiæ: quod certè non potest intelligi de efficientia reali & physica, nisi velimus cum quibusdam Thomistis dicere, posse rem præteritam, quæ nunc non est, assumi vt instrumentum physicum. Nec satisfacit, quod quidam ait, D. Thomam, per *Passionem, & Mortem*, intelligere humanitatè passam & mortuam, quæ semper manet, quia D. Thomas apertè contrarium insinuat, agens de morte; cum ait: *Mortem, etiamsi priuatio sit, tamen ratione diuinitatis, hanc vim habere.*

Obijcitur Quinto, Ignis inferni realiter agit in Demones, producendo per potentiam obedientialem aliquid in illos: ergo &c.

Respondeo Primò, Credibile est igne inferni habere naturâ suâ vim inchoatam, ratione cuius possit diuinitus cleuari ad efficiendum aliquid in spiritibus; vnde causetur dolor: nam naturaliter agit in animas corpori vnitas: quare dubitandum

non videtur, quin possit diuinitus agere in separatas. Vel certè, Deus imprimit illi vim aliquâ inchoatam, quæ vterius cleuari potest. Vel tertio, ignis non agit, nisi ratione virtutis diuinæ in ipso existentis; quæ se exerit ad presentiam ignis; vel hoc ipso, quo aliquis ad eum est damnatus. Certè D. Thomas I. p. q. 64. a. 4. & plerique Doctores abrogant igni actionem propriam.

Obijcitur Sexto, Altera sententia magis pertinet ad dignitatè humanitatis Christi, & Sacramentorum: ergo, cum non videatur implicare contradictionem, est tenenda.

Respondeo Primò, Plerique Doctores censent implicare contradictionem. Secundò, Non semper id est ponendum, quod ad maiorem dignitatem quouis modo pertinet; sed quod naturis reru, & doctrinã Patrum, magis est consentaneum. Ob quam causam, etiam censemus Angelos non habuisse gratiã & gloriã ex Christi merito. Tertio, Tota illa ratio causandi, quam ponit altera sententia, nihil reale constituit in instrumento: vnde solum morale quandam dignitatem illi cõfert. At nos, non minorem tribuimus, dum ponimus voluntatè Christi causam effectiuè, & ex auctoritate applicantem diuinam virtutè: carnem autem, causam instrumentalem, quæ vim diuinam substantiãliter vnitam, applicet formaliter. Vnde etiam patet, humanitatem, non dici propriè causam moralem dumtaxat; nam causa moralis nullam in se vim habet, nec agit ex auctoritate: sed prece, vel pacto aliquo, ex alterius arbitrio, pendente.

ARTICVLVS III.

Utrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu proprij corporis?

Respondetur, Per propriã virtutem non habuit omnipotentiam in proprio corpore; sed vt instrumentum Verbi, seu per virtutem diuinam ipsi vnitam.

Notandum est Primò, Animã, suã virtute creatã naturali vel supernaturali, non potuisse corpus suum ponere in duobus locis; vel simul penetratiuè cum alio corpore; nec mutare figuram, aut proprij corporis naturalem constitutionem; quia nec Beati hæc possunt virtute creatã.

Notandum Secundò, Ipsam potuisse mouere corpus suu, eo modo, quo Beati poterunt mouere corpora grauiã. Vnde poterat ambulare super aquas; quia non erat imbecillior Beatis. Vtrum autem potuerit vi suã intrinsecã reddere se inuisibilem, aut impedire ne vllã læderetur, nec dolores sentiret, dubiu est. Puto tamen non potuisse sensum doloris impedire vi intrinsecã, nã corpus erat passibile. Certum tamen est, ipsam, hæc & alia potuisse circa corpus suum virtute Diuinitatis; cuius vsus erat in ipsius potestate.

ARTICVLVS IV.

Utrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu executionis suã voluntatis?

Respondetur; Primò, Quidquid voluit tamquam per se adimplendum, potuit propriã vir-

Cyrius.

Explicatio.

Humanitas dicitur instrumentum Verbi.

14. Obiectio ex D. Tho.

Actio instrumenti est præuiã & distincta ab actione principalis agentis.

15. Obiectio. Ab actione ignis infernalis.

Quomodo ignis corpus agit in spiritibus.

ritus. Vide fac. l. 13. de Perfor. diu. c. 10.

16. Obiectio. Quod facit ad dignitatem humanitatis.

Responsio triplex.

Humanitas est plusquam causa moralis miraculorum.

17.

Vis anima in proprio corpore.

18.

H b ij priã vir-